

Texte für die mündliche Latein-Ergänzungsprüfung bei Dr. Margit Kamptner

1) Aeneas auf der Flucht

Cum Troia arderet, Aeneas media nocte hoc somnium vidit: Hector occisus ei apparuit, metum depulit: „Propera“, inquit, „ad litus et porta penates Troiae in terram alienam!“ Subito clamore militum pugnantium somnus expulsus est. Cum vidisset Graecos nemini parcere, cum patre, coniuge filioque fuga salutem petivit. Custodes fefellerunt et ad litus pervenerunt. Subito Aeneas Creusam uxorem exclamare audivit: „Succurre mihi!“ Sed miseriam ab ea repellere non potuit, nam coniugem ex oculis amiserat. Per campos cucurrit, sed Creusam uxorem frustra quaerebat. Subito ei imago Creusae occurrit et dixit: „Di hic me retinent. Tu post multos errores in Italiam pervenies et alteram mulierem in matrimonium duces.“ Paulo post ad Aeneam tristem multi concurrerunt, qui a Graecis occisi non erant. Eos Aeneas impulit, ut arbores caederent et naves aedificarent. Tum e patria pulsi nova domicilia quaerebant.

2) Aeneas gelangt nach Karthago

Cum Aeneas comitesque eius iam sperarent se mox in Italiam perventuros esse, Iuno, inimica Troianorum, Aeolum oravit, ut Aeneam perderet. Neptunus autem Troianis fluctibus oppressis succurrit. Mare statim placidum reddidit. Tum Troiani ad litus Africae navigabant. Cum timerent, ne incolae eius orae vim adhiberent, in silvas se abdiderunt. Ibi Venus in virginem mutata eis occurrit et narravit incolas hanc regionem Didoni reginae vendidisse. Addidit Didonem ibi urbem Carthaginem condidisse; eam erga hospites benignam esse dixit. Troiani his verbis crediderunt et in urbem Carthaginem ierunt. Ibi se suaque omnia Didoni tradiderunt. Mox Venus Amorem, filium suum, ad Didonem misit; optavit enim, ut in amorem Aeneae incideret. Cum etiam Aeneas Didonem amaret, Iuppiter Mercurium misit, ut Aeneam de oraculo¹ admoneret. Maestus Aeneas Didonem deseruit et ex urbe Carthagine cessit. Dido se tristitiae et doloribus dedit. Vergilius poeta prodit eam gladio Aeneae se occidisse.

3) Aeneas in der Unterwelt

Aeneas comitibus imperavit, ut ancoras tollerent; mox naves aquas scindebant. Cum ad urbem Cumas pervenirent, Aeneas antrum Sibyllae vatis iniit. Oravit, ut a Sibylla ad inferos deduceretur. Cum Tartarum inirent, umbrae terribiles eis occurrerunt: Luctus, Curae, Morbi, Senectus, Fames, Metus, Egestas. Aeneas timore permotus gladium strinxit, sed frustra, quod eae formae sine corpore erant. Tum flumini Acheronti appropinquaverunt; Charon eos traduxit. Ibi Didonem viderunt, cuius vestis scissa et vulnus adhuc recens erat. Quae dolore percussa aspectum Aeneae vitavit. Postremo Anchises, pater Aeneae, eis apparuit, sed secedebat, cum Aeneas eum manu attingere temptaret. Interea Aeneas amnem vidit, circa quem innumerabiles homines erant. Anchises filio dixit: „Animae eorum sunt, qui ad vitam novam in corpora redibunt. Ex amne oblivionem bibunt, ut memoria vitae pristinae tollatur.“ Tum Anchises Aeneam et Sibyllam ad exitum deduxit.

4) Aeneas in Italien

¹ Aeneas war prophezeit worden, dass er nach Italien gelangen und dort eine neue Frau finden und eine Stadt gründen werde (s. auch Text 1).

Postquam Aeneas ab inferis rediit, comites eius ancoras sustulerunt et naves remis impulerunt. Cum ad Tiberim flumen pervenissent, Aeneas ignorabat se in Latio esse, quam terram dii Troianis promiserant. Rex Latinus ibi urbes regebat, qui Aeneae amicus erat, luno autem discordiam sevit. Cum Aeneas et comites ad ripam victum quaerent, ex omnibus locis armati concurrerunt, ut Troianos e finibus suis pellerent. Postquam afflicti sunt, Latinus se et milites suos in potestatem Aeneae dedit, qui eis pepercit et libertatem reddidit. Tum foedus sanxerunt. Latino filia nomine Lavinia erat. Olim Latino oraculo nuntiatum erat filiam viro externo nupturam esse et prolem eius nomen Romanum ad sidera sublaturam esse. Itaque Aeneae filiam in matrimonium dedit. Condiderunt oppidum, quod Aeneas ab uxoris nomine Lavinium appellavit. Aeneae mortuo Ascanius filius successit. Is sub Albano monte Albam Longam condidit; ea urbs CCCC annos caput regni fuit.

5) König Oedipus

Laio, Labdaci filio, regi Thebanorum, ab Apolline erat responsum, ut mortem de manu filii sui caveret. Itaque cum Iocasta, uxor eius, peperisset, iussit infantem exponi. Quem inventum Polybus, rex Corinthi, eiusque uxor, quod orbi erant liberis, pro suo educaverunt eumque Oedipum nominaverunt. Postquam Oedipus ad puberem aetatem pervenit, fortissimus praeter ceteros erat, eique per invidiam aequales obiciebant eum subditum² esse Polybo. Quod Oedipus sensit non falso³ sibi obici. Itaque, cum veros parentes cognoscere voluisset, Delphos est profectus patremque obviam habuit⁴. Oedipus iratus, quia ille sibi viam dari iusserat, inscius patrem suum de curru detraxit et occidit. Tunc regnum paternum et Iocastam matrem inscius accepit uxorem, ex qua procreavit liberos. Interim Thebis sterilitas frugum et penuria incidit ob Oedipodis scelera. Dum haec Thebis geruntur, Corinthi Polybus decedit. Quo audito Oedipus moleste ferre⁵ coepit existimans patrem suum obisse; sed cum audivisset, quorum parentum filius esset et vidisset se tot scelera nefaria fecisse, ex veste matris fibulas detraxit et se luminibus⁶ privavit.

6) Das Trojanische Pferd

Achivi cum per decem annos Troiam capere non possent, Epeus monitu Minervae equum mirae magnitudinis ligneum fecit; eoque sunt collecti fortissimi Achivi. In equo scripserunt: „Danai Minervae dono dant⁷“, castraque transtulerunt Tenedo⁸. Id Troiani cum viderunt, arbitrati sunt hostes abisse. Priamus equum in arcem Minervae duci imperavit. Cassandra autem cum vociferaretur inesse hostes, fides ei habita non est. Cum Troiani igitur equum in arce posuissent et ipsi lusu atque vino lassi obdormissent⁹, Achivi ex equo aperto exierunt et portarum custodes occiderunt sociosque signo dato receperunt et Troia sunt potiti.

7) Die Heimkehr des Odysseus

Ulixes postquam de insula nymphae¹⁰ decessit, vitam in fluctibus amisisset, nisi a dea quadam adiutus esset. Nudus et fessus postremo ad insulam Phaeacum pervenit. Nausicaa, regis filia, cum

² subditus: unterschoben

³ falso (Adverb): fälschlich

⁴ obviam habere: begegnen

⁵ moleste ferre: traurig sein

⁶ lumen: hier = Auge(n)licht

⁷ dono dare: als Geschenk geben

⁸ Tenedo (Dat. des Ziels): nach Tenedos (Insel nahe Troja)

⁹ Kurzform für: obdormivissent

¹⁰ gemeint ist Kalyпсо, bei der sich Odysseus eine Zeitlang aufgehalten hatte

ancillis ab urbe secesserat et in ripa fluminis vestem lavabat. Subito vir, foliis tantum tectus, e silva processit et auxilium ab ea petivit. Nausicaa primo perterrita est. Tum concessit, ut Ulixes accederet, et veste eum operuit. Ulixes cum inter puellas usque ad portas urbis incessisset, domum regiam vidit. Nausicaa, ut quidam putant, hospitem adamavit et ad regem adduxit. Apud eum Ulixes omnes errores suos exposuit. Rex eum multis donis instruxit et in patriam deduci iussit. Profecto nautae eum dormientem in insula Ithaca deposuerunt. Ulixes cum in domo sua esset, multis cum periculis Penelopam, coniugem fidam, e manibus procorum¹¹ liberavit. Cum Ulixes post multos annos de vita decessisset, Telemachus filius in locum patris successit.

8) Iphigenie

Reges et principes Graeciae adducti sunt, ut bello Troiano interessent. Cum copias unum in locum conduxissent, naves a Diana dea ventis adversis retinebantur. Agamemno enim, dux Graecorum, cervam Dianae sacram violaverat, quamquam id interdictum erat. Itaque Agamemno sacerdotes advocavit et consuluit, quomodo dea placaretur. Calchas respondit deam placari non posse, nisi Iphigenia, filia Agamemnonis, immolata esset. Sed pater se numquam filiam immolaturum esse primo dixit; postea per Ulixem inductus est, ut Iphigeniam e domo matris subduceret. Filiam, cum pater immolaturus esset, Diana dea per nubes in terram alienam deduxit. Ibi sacerdos Dianae facta est. Nunc Dianae deae placuit, ut Agamemno omnes naves Graecorum in Asiam perduceret. Sed Clytaemnestra, uxor eius, irata erat, quod filiam necare paratus fuerat.

9) Medea

Medea cum ex Iasone iam duos filios procreasset¹² et cum marito summa concordia viveret, Graeci Iasoni obiciebant hominem tam fortem uxorem advenam atque veneficam habere. Qua re Creon, rex Corinthus, filiam suam ei uxorem dedit, cum ab eo peteret, ut Medeam dimitteret. Cum Medea vidisset se tanta contumelia esse affectam, coronam ex veneno fecit auream atque iussit eam novae sponsae Iasonis dari. Quae munere accepto statim conflagravit. Sed Medea hoc videns natis suis interfectis Corintho profugit.

10) De Minerva dea

Inter Neptunum et Minervam cum esset certamen, qui primus oppidum in terra Attica conderet, Iovem iudicem adhibuerunt. Qui Minervam praetulit, quod primum in ea terra oleam severat, quae arbor adhuc superesse dicitur. Sed cum Neptunus ea re iratus, quod non primum locum obtinuerat, in eam terram mare irrigare coepisset, Iovis iussu a Mercurio prohibitus est. Itaque Minerva ex suo nomine oppidum Athenas condidit, quod oppidum in terris primum constitutum esse dicitur. Minerva prima tibias ex osse cervino fecisse et ad epulas deorum venisse dicitur, ut ibi cantaret. Cum Iuno et Venus eam irriderent, quod buccas inflaret, dea in cantu irrita in Idam silvam ad fontem iit, ut se cantans in aqua aspiceret. Cum se merito irrisam esse vidisset, tibias ibi abiecit et precata est, ut, quicumque eas sustulisset, gravi supplicio afficeretur. Quas Marsyas unus e satyris invenit, qui eas secum tulit et assiduo labore sonum suaviorem in dies faciebat, adeo ut Apollinem ad citharae cantum in certamen provocaret. Quo cum Apollo venisset, Musas iudices sumpserunt, et cum iam Marsyas inde victor discessurus erat, Apollo citharam versabat idemque sonus erat; quod Marsyas

¹¹ Diese hatten sich während der Abwesenheit des Odysseus in dessen Haus niedergelassen und wollten Penelope heiraten.

¹² Kurzform für „procreavisset“

tibiis facere non potuit. Ita Apollo victoriam reportavit et victum Marsyam ad arborem religari eique pellem detrahi iussit. Postea corpus eius sepulturae traditum est.

11) Phaedra

Phaedra, Minois filia, Thesei uxor, Hippolytum privignum suum adamavit; quem cum non potuisset ad suam perducere voluntatem, tabellas scriptas¹³ ad suum virum misit se ab Hippolyto compressam esse, seque ipsa suspendio necavit. Et Theseus re audita filium suum moenibus excedere iussit et optavit a Neptuno patre filio suo exitium. Itaque cum Hippolytus equis iunctis veheretur, repente e mari taurus apparuit, cuius mugitu equi expavefacti Hippolytum distraxerunt vitaeque privaverunt.

12) De Romulo

Romanum imperium a Romulo exordium habet, qui Rheae Silviae, Vestalis virginis, filius et, quantum putatus est, Martis cum Remo fratre uno partu editus est. Is cum inter pastores latrocinaretur, decem et octo annos natus urbem exiguum in Palatino monte constituit. Condita civitate, quam ex nomine suo Romam vocavit, haec fere egit: Multitudinem finitimorum in civitatem recepit, centum ex senioribus legit, quorum consilio omnia ageret¹⁴, quos senatores nominavit propter senectutem. Tum, cum uxores ipse et populus suus non haberent, invitavit ad spectaculum ludorum vicinas urbi Romae nationes atque earum virgines rapuit. Commotis bellis propter raptarum iniuriam Caeninenses vicit, Antemnates, Crustuminos, Sabinos, Fidenates, Veientes. Haec omnia oppida urbem cingunt. Et cum orta subito tempestate non comparuisset, anno regni tricesimo septimo ad deos transisse creditus est¹⁵.

13) Das Zwölftafelgesetz

Expulsis regibus populo Romano periculum instabat, quod cives incerto magis iure utebantur quam scriptis legibus. Itaque, ne diutius hoc fieret, tribuni plebis senatum scriptas leges poposcerunt¹⁶; quam rem non aspernabantur patres¹⁷. Placuit eis sententiam rogatis¹⁸ publice decem deligi viros, per quos leges peterentur¹⁹ a Graecis civitatibus. Quare missi legati sunt in Atticam iussique leges Solonis describere et aliarum civitatum instituta, mores, iura noscere. Cum autem redissent legati cum Atticis legibus neque patres eorum adventum plebem celare possent, vehementius postulabant tribuni, ut tandem leges scribere inciperent decemviri. Qui operam dabant, ut leges scriberent, ingentique hominum exspectatione decem²⁰ tabulas proposuerunt. Populum ad contionem advocaverunt eumque legere propositas tabulas iusserunt, ut omnes docerentur de legibus; confidebant faustas felicesque eas fore rei publicae et ipsis liberisque suis.

14) Die Eroberung von Syrakus

Cum anno ante Christum natum ducentesimo duodecimo exercitus Romanus in Siciliam venisset, ut insulam expugnaret, etiam Syracusae circumventae sunt. Syracusani machinationibus Archimedis, illius clari mathematici, diu copias hostium ab urbe arcere potuerunt. Ab illo viro multas leges

¹³ tabellae scriptae (Pl.): Brief

¹⁴ Konjunktiv im Relativsatz mit finalem Nebensinn

¹⁵ mit Ncl: man glaubte, dass...

¹⁶ posco mit doppeltem Akkusativ: von jemandem etwas verlangen

¹⁷ patres: hier = Senatores

¹⁸ sententiam rogare: zur Abstimmung aufrufen

¹⁹ Konjunktiv im Relativsatz mit finalem Nebensinn

²⁰ Ursprünglich waren es 10 Tafeln, zwei wurden später hinzugefügt.

naturae repertas esse omnibus notum est. Cum urbs ab exercitu Romano expugnaretur, Marcellus, imperator Romanus, qui haec omnia scivit, edixit, ne quis Archimedes necaret. Cum ceteri cives metu permoti urbem relinquerent, Archimedes in horto sedebat et geometricis formis intentus erat. Cum unus ex militibus Romanis praedae causa in hortum veniret eumque videret, ab eo quaesivit, quis esset. Is autem nimio sapientiae studio laboribus nondum finitis hoc solum respondit: „Noli turbare circulos meos!“ Tum a milite, qui eum Archimedes esse non scivit, necatus est.

15) Antonius und Kleopatra

M. Antonius quoque ingens bellum civile commovit cogente uxore Cleopatra, dum cupiditate muliebri optat etiam in urbe regnare. Victus est ab Augusto navali pugna clara et illustri apud Actium, qui locus in Epiro est; ex qua fugit in Aegyptum et desperatis rebus, cum omnes ad Augustum transirent, ipse se interemit. Cleopatra sibi aspidem admisit et veneno eius extincta est. Aegyptus per Octavianum Augustum imperio Romano adiecta est praepositusque ei C. Cornelius Gallus. Ita bellis toto orbe confectis Octavianus Augustus Romam rediit. Ex eo rem publicam per quadraginta et quattuor annos solus obtinuit. Ante enim duodecim annis cum Antonio et Lepido tenuerat. Ita ab initio principatus eius usque ad finem quinquaginta et sex anni fuerunt. Obiit autem septuagesimo sexto anno in oppido Campaniae Atella. Romae in campo Martio sepultus est, vir, qui non immerito ex maxima parte deo similis est putatus. Neque enim facile ullus eo aut in bello felicius fuit aut in pace moderatior. Quadraginta et quattuor annis, quibus solus gessit imperium, civilissime vixit, in cunctos liberalissimus, in amicos fidissimus.

16) Augustus

Nulla tempore ante eum magis res Romana floruit. Nam exceptis²¹ civilibus bellis, in quibus invictus fuit, Romano adiecit imperio Aegyptum, Cantabriam, Dalmatiam saepe ante victam, sed penitus tunc subactam, Pannoniam, Aquitaniam, Illyricum, Raetiam, Vindelicos et Salassos in Alpibus, omnes Ponti maritimas civitates, in his nobilissimas Bosphorum et Panticapaeum²². Vicit autem multis proeliis Dacos. Germanorum ingentes copias cecidit, ipsos quoque trans Albim fluvium summovit, qui in Barbarico longe ultra Rhenum est. Scythae et Indi, quibus antea Romanorum nomen incognitum fuerat, munera et legatos ad eum miserunt. Galatia quoque sub hoc provincia facta est, cum antea regnum fuisset, primusque eam M. Lollius pro praetore²³ administravit. Tanto autem amore etiam apud barbaros fuit, ut reges populi Romani amici in honorem eius conderent civitates, quas Caesareas nominarent. Multi autem reges ex regnis suis venerunt, ut ei obsequerentur, et habitu Romano, togati scilicet, ad vehiculum vel equum ipsius cucurrerunt. Moriens Divus appellatus est. Rem publicam beatissimam Tiberio successoris reliquit, qui privignus ei, mox gener, postremo adoptione filius fuerat.

17) Tiberius

Sed Tiberius ingenti socordia imperium gessit, gravi crudelitate, scelestis avaritia, turpi libidine. Nam nusquam ipse pugnavit, bella per legatos gessit suos. Quosdam reges ad se per blanditias evocatos numquam remisit, in quibus Archelaum Cappadocem, cuius etiam regnum in provinciae formam redegit et maximam civitatem appellari nomine suo iussit, quae nunc Caesarea dicitur, cum Mazaca antea vocaretur. Hic tertio et vicesimo imperii anno, aetatis septuagesimo octavo, ingenti omnium

²¹ excipio: hier = wieder aufnehmen

²² urspr. griech. Kolonie auf der Krim, Hauptstadt des sog. bosporanischen Reiches, auch Bosphorus genannt

²³ pro praetore: Provinzstatthalter

gaudio mortuus est in Campania. Successit ei C. Caesar cognomento Caligula, Drusi, privigni Augusti, et ipsius Tiberi nepos, sceleratissimus ac funestissimus. Bellum contra Germanos suscepit et ingressus Sueviam nihil strenue fecit. Stupra sororibus intulit, ex una etiam filiam agnovit. Cum adversum cunctos ingenti avaritia, libidine, crudelitate saeviret, interfectus in Palatio est anno aetatis vicesimo nono, imperii tertio, mense decimo dieque octavo.

18) Ein Dichterwettbewerb in Alexandria

Ptolemaeus rex constituerat in urbe Alexandria bibliothecam condere. Hac perfecta et ludis Apollini dedicatis praemia victoribus constituit. Cum ludi adessent, iudices litterati deligi debebant, ut scripta probarent. Sex iudicibus iam delectis neque septimo idoneo invento rex interrogavit eos, qui bibliothecae praeerant, num quem²⁴ novissent idoneum. Tum ei dixerunt esse quendam Aristophanem, qui summo studio plurimos libros perlegeret. Initio ludorum facto Aristophanes quoque arcessitus est; sedibus distributis iudices consederunt. Poetarum scriptis recitatis singuli iudices sententiam rogati sunt. Sex inter se consenserunt et ei, qui maxime multitudini placuisse videbatur, primum praemium tribuerunt. Aristophanes autem eum primum esse dixit, qui minime populo placuisset. Universis vehementer indignantibus surrexit Aristophanes silentioque facto docuit unum ex his esse poetam, ceteros aliena recitavisse. Admirante populo et rege dubitante ex bibliotheca volumina eduxit; tum ea cum recitatis comparans coegit poetas confiteri se furatos esse. Illis cum ignominia dimissis rex Aristophanem amplissimis muneribus ornavit et supra bibliothecam constituit.

19) De Diogene

Diogenes ab reliquorum hominum moribus valde dissentiebat. Aliquando ad fontem sedit et aquam ex alto desilientem poculo hausit. Poculum cum exhauriret, vidit haec: Puer manibus aquam e fonte hausit. Tum Diogenes: „Dedecore opertus sum. Puer me parsimonia superavit.“ Statim poculum in fontem iactavit. Aliquando ad Olympia properavit. Ibi corona victoriae ornatus per vias ambulavit, quamquam certaminibus non interfuerat. Rogatus, quomodo illud praemium meruisset, respondit: „Etiam ego victor sum: iram domui, voluptates coercui, luxuriae non indulsi. Itaque me ipse coronavi.“

20) Pferd und Esel

Asinus et equus in potestatem agricolae duri ceciderant. Aliquando agricola eos, qui saccis gravibus onerati erant, in forum longinquum agitabat. Onus equi autem non tam grave erat quam onus asini. Cum aestus intolerabilis existeret, asinus fatigatus constitit et equum oravit, ut partem oneris sui portaret. Equus autem respondit: „Tibi non adero. Nullum umquam laborem, nullam operam in me impendisti. In morbum incidam, si tantum onus portavero.“ De hac sententia equus non destitit et ostendit se paratum non esse comitem adjuvare. Iter perrexerunt, alter onere gravi exhaustus, alter commodo suo laetus. Subito asinus concidit. Postquam occidit, agricola omnibus saccis, qui ab asino portati erant, equum oneravit. Et ille lugens: „Nunc poenas pro stultitia pendo. Nam mea culpa comes occisus est. Nunc onus duplex porto.“

21) Der Löwe und die Maus

²⁴ quem nach num = aliquem

Aliquando mures ludentes forte leoni dormienti appropinquaverunt. Subito perterriti steterunt et oculos in eum intenderunt. At unus ex iis tam audax erat, ut ad caput leonis accederet. Leo, qui e somno excitatus erat, murem captavit; ceteri autem fuga salutem petiverunt. Mus miser, quamquam omnes vires contendit, evadere non potuit. Tum mus leoni saevo dixit: „Aliquando etiam tu ope aliena egebis. Promitto me semper te adiuturum esse. Omnes curas in te intendam. Dimitte me!“ Postquam mus hanc sententiam ostendit, leo risit, sed misericordia adductus ei vitam concessit. Paulo post leo laqueo, quem venator nexerat, captatus est. Magna vi se liberare contendit, sed frustra. Itaque leo amicos suos in auxilium advocavit; at nemo venit. Solus mus vocantem audivit eique affuit. Dentibus acribus laqueum perrosit. Hac fabula ostenditur firmos quoque auxilio alterius egere.

22) De Thoma apostolo

Thomas apostolus ad urbem Caesaream pervenit. Hic ei dominus apparuit dicens: „Rex Indiae fabrum egregium desiderat, ut sibi domum regiam aedificaret, et magno praemio illicet. Te ad eum mittam, quod huius artis peritus es.“ Thomas metum excussit et in Indiam iit. Regi promisit se domum praeclarissimam aedificaturum esse. Rex ei magnam pecuniam dedit. Thomas autem, qui perspexerat, in quanta paupertate populus viveret, omnem pecuniam inter miseros divisit multosque ad fidem Christianam convertit. Rex cum domum novam nusquam aspexisset, apostolum in carcere inclusit. In animo habebat eum gladio percutere. Eodem tempore frater regis subito obiit. Hoc casu acerbo concussi omnes maerebant. Quarto die autem frater regis resurrexit. Is in caelum suspiciens regi dixit: „Ne despicias illius apostoli beneficia! Magis nobis prospexit quam tu: Angeli me post mortem in paradisum duxerunt. Ecce ibi domus regia, quam ille nobis aedificaturus erat. Si ei parebimus, deus pietatem nostram respiciet.“ Statim vincula apostoli soluta sunt.

23) Die bekehrten Diebe

Mercator quidam, cuius opes creverant, timuit, ne raperentur. Quod ei notum erat sanctum Nicolaum mirabilia facinora effecisse, imaginem eius emit et in domo sua collocavit. Cum iter suscipiebat, imagini Nicolai fortunas suas committebat dicens: „Nisi bona mea bene custodies, te verberabo.“ Aliquando, ut consueverat, iter fecit. Sed fures occasionem ceperunt et opes mercatoris rapuerunt. Is cum rediret, concussus hoc casu imaginem corripuit et verberibus affecit. Fures in prato quieverunt. Subito vir iis appropinquavit, cuius corpus verberibus livebat. „Pro vobis,“ inquit „verberatus sum. Nisi reddetis, quod rapuistis, deus vos poena afficiet.“ Rogatus, quis esset, vir respondit: „Nicolaus sum.“ Metus furum crescebat; itaque mercatori omnia, quae rapuerant, reddiderunt. Cum is furibus fabulam de imagine narraret, animi eorum ita percussi sunt, ut viri probi fierent.

24) Hieronymus und der Löwe

Quodam die cum sanctus Hieronymus cum sociis oraret, leo gravi vulnere affectus appropinquavit. Ceteri fugam ceperunt, Hieronymus autem leonem ut hospitem in aedes recepit et sanavit. Mox leo ex vulnere reffectus est. Tum Hieronymus ei mandavit, ut asinum, qui sociis ligna e silva portabat, custodiret. Leo iussa perfecit. Aliquando mercatores iter per eam regionem fecerunt. Cum leo dormiret, asinum rapuerunt. Leo autem solus domum rediit. Hieronymus credebat pabulum defecisse et leonem fame confectum asinum interfecisse. Tunc leonem iussit officium asini suscipere. Ita factum est. Mercatores autem cum negotium confecissent, eadem via redierunt. Asinus praecessit; nam asini camelis praeaeunt, ut directius eant. Leo cum asinum videret, mercatores

vehementer invasit. Perterriti Hieronymum adierunt. Verum patefecerunt et Hieronymo satisfecerunt: Promiserunt se quotannis Hieronymo sociisque oleum donaturos esse. Idem ab heredibus fiebat.

25) De sancto Iuliano

Iulianus quidam aliquando cervum capturus erat. Subito sonum percepit; nam cervus dicere coepit: „Patrem et matrem, qui te pepererunt, necabis.“ Tum cervus fugam cepit et silva exceptus est. Iulianus, ut scelus vitaret, statim parentes reliquit et terram remotam adiit. Ibi ad principem venit eique serviebat. Bene gerebat omnia, quae a principe praecipiebantur. Itaque princeps ei mulierem divitissimam in matrimonium dedit. Interea parentes filium ubique quaerere coeperunt. Denique etiam ad domum Iuliani venerunt. Is domi non erat, uxor autem eos benigne recepit. Mox illa perspexit eos Iuliani parentes esse. Fessis suum lectum concessit. Iulianus cum domum redisset et homines alienos in lecto suo dormientes conspexisset, iratus gladium strinxit eosque necavit. Sero a coniuge comperit se parentes occidisse. Iterum atque iterum clamavit: „Cervus me non decepit.“ Ab eo tempore Iulianus multos et magnos labores suscepit, ut iram dei placaret. Post multos annos angelus apparuit dicens: „Veniam a deo accepisti.“

26) Legende von einer wunderbaren Begebenheit

In urbe quadam Germaniae vidua erat, quae cerevisiam vendebat: hac re victum tenuem sibi comparabat. Quia modesta erat, plus non cupiebat. Aliquando hostes urbem invadunt. Quantum rapere possunt, rapiunt. Domos diripiunt, incolis omnem pecuniam per vim eripiunt. Postremo urbem incendunt. Magna pars domorum flammis corripitur. Etiam domui, in qua vidua habitabat, periculum impendebat. Itaque vidua omnia vasa, quibus cerevisiam vendebat, ante portam domus posuit et manus ad caelum sustulit et oravit: „Domine, si umquam his vasis metiens aliquem hominem fefelli, domus mea igne corripatur. Sed si semper iuste egi, parce mihi et domui meae!“ Deus viduae ea, quae cupiverat, concessit. Quamquam flammae materiam lambebant, domus usta non est. Omnes, qui id miraculum viderunt, deum praedicabant.